

17 Quod si verò ex legata vel donata specie duo tantum individua adfint, v. g. duo tantum equi, vel boves, vel fundi, vel servi, unus melior, alter deterior, in salvo manet Regula, *In obscuris minimum est sequendum*; indeque non nisi ad deterius dandum obligatur inducitur. Dynus hic nu. 8. & 9. arg. l. cum servus. 39. §. 6. ff. de Legat. I. & l. si ita velicium 43. §. fin. ff. de Legat. II.

18 Porro plures Doctores cum Dyno hic n. 7. asserunt. Regulam non tantum in speciebus, sed etiam in generibus fallere; Notandum tamen eos loqui de genere & specie non in philosophico, sed in juridico sensu acceptis; in quo ultimo sensu etiam individua & alia singularia vocantur species: e contra veræ species philosophicæ habentes sub se plura individua; uti homo, leo, asinus &c. apud Ju-

risas vocantur genus, prout magis dicitur infra explicando Regulam 34. *Generi per speciem derogatur.* Dynus l. c. cum aliis. arg. l. ha stipulatus. 115. §. de V. O.

Ceterum Fallit Regula secundum in casu, quo homicidium à pluribus committitur, & nascitur: sed obscurum manet, quis eorum vulnus lethale inflixerit: tunc enim non minimum de puniendo uno vel nullo sed maximum, videlicet ut omnes tanquam homicidæ puniantur, eligendum statuitur. l. Item Mala. 11. §. 2. ff. ad l. Aquil. Et merito; cum enim omnes in actu homicidii deprehensi culpabiles existant, omnes jure merito pœnæ subjacent, ne cum gravi damno reipublicæ delicta mancant impunita contra l. Ita vulneratus. 51. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. ibi: cum neque impunita maleficia esse oporteat. Dynus hic. num. 19.

REGULA XXXI.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Certus quis dicitur? tribus modis certus fieri potest.
- 3 Quid sit certiorari?
- 4 Ponitur versus sensus Regula.
- 5 Natura & Jura nil faciunt frustra. Ibid.
- 6 Declaratur Regula exemplis Juris. & duob. seqq.
- 7 Venditor servitium fundi insinuare non tenetur, quam emptor jam scit. Ibid.
- 8 Nec vitium mancipii, vel alterius jam notum. Ibid.
- 9 Nemo tenetur alium de claris Juribus certiorare reddere.
- 10 Dies interpellat pro homine. Ibid.
- 11 Iter ad Curiam Romanam in causa litigiosa arripere equivaleat Appellationi.
- 12 Fallit Regula, quando ulterior certioratio requiritur ad substantiam actus.
- 13 Ut ad declarandum contumacem.
- 14 Et ad privationem privilegii Clericalis.
- 15 Nec non ad ferendam Excommunicationem majorem.
- 16 Testes in Testamento non valent, nisi sint rogati.
- 17 Judex non nisi imploratus, & judicialiter informatus in causa procedere potest.
- 18 Venditor non tenetur ad evictionem, nisi fuerit ab emptore laudatus.
- 19 Clerici concubinarij ut penas incurrant, prius debent moneri: & quomodo?
- 20 Concilii Tridentini textus ad propositum. Ibid.
- 21 De panis Clericorum lascivæ viventium remissione.
- 22 Quid ulterior certificatio sit de substantia actus, non praesuntur, sed probari debet: bene verò praesumitur ignorantia, nisi scientia probetur.

18 Hæc Regula juxta Glossam hic desumitur ex l. i. ff. de Actionibus empti & venditi. uti habetur: quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignoravit.

2 Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Certus per Regulam præsentem intelligitur ille, qui non qualemcumque, sed indubitata notitia, seu scientia rei, vel negotii alicujus habet; quæ notitia vel certitudo triplici modo haberi potest: vel physice, ac naturaliter per quinque sensus, visum præsertim & auditum, ut si quis instrumentum authenticum rem continens ipsemet vidit & legit, vel quid aliud in

quæstione versari propriis oculis cognovit, vel auribus audivit, v. g. promulgationem legis præsens auribus percepit: vel moraliter, quæ notitia provenit ex motivis adeo vehementibus, ut nullus prudens dubitandi reliquatur locus: cuiusmodi certitudo ex relatione virorum omni exceptione majorum, fidèque dignorum habetur: vel ex dispositione legis naturalis, quæ cunctis nota esse debet, vel humane claræ ac certæ ritèque promulgatæ, Tacin. hic. n. 1. Peck. n. 1. cum aliis. arg. l. Magnam. 12. C. de contrah. & committend. stipul.

Per certiorari intelligit Regula particularem aliquam judicalem, vel aliam denuntiationem, insinuationem, aut notificationem, vultque dicere, quòd, qui aliquò ex præfatis modis de re quadam certus est, seu sufficientem notitiam jam habet, vel saltem habere debet, ei ulterior aliquam insinuationem, vel denuntiationem facere ad hoc, ut notitiam acquirat, non sit necesse. Hinc

Resp. II. Versus sensus hic est: De Jure non est necessarium, ut alicui, qui sufficientem notitiam vel scientiam de re, vel negotio aliquo jam habet, vel saltem habere debet, pro acquirenda ejusdem rei, vel negotii notitia, adhuc ulterior aliqua fiat denuntiatio, insinuatio, vel notificatio. Rationem dat Vivianus hic: quia denuntiatio alicui regulariter ideò fit, ut notitiam acquirat de re aliqua l. Item veniunt. 20. §. 11. ff. de Hered. petit. Ergo si is sufficientem notitiam jam habet, frustra nea & superflua est ulterior notificatio talis rei: sic ut autem natura sic etiam leges & Jura nil frustra, aut superfluum faciunt vel exigunt. can. 1. dist. 19. cum concord.

Declaratur Regula & sensus illius exemplis Juris: Sic enim licet vendens fundum, vel domum aliquam servitute affectam, teneatur emptorem de servitute certiorare reddere; cum id omittens teneatur actione empti ad interesse emptoris: tamen hujusmodi servitute insinuare non obligatur, si emptor prius jam scit fundam servitute esse subiectam textu claro l. 1. §. 1. ff. de Action. empti. ibi: Venditor si, cum sciret debere servitute, celavit, non evadit exempto actionem; si modò eam rem emptor ignoravit, quia ut §. fin. ibidem additur, non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit. Sic etiam licet quis mancipium vel aliam rem, v. g. equum vitiosum, scabiosum vendens debeat emptorem certiorare reddere de moribus & vitis mancipii vel morbo aut gravi defectu equi; cum alias teneatur actione redditionis, vel quantò minoris: tamen hoc defectus emptori noti-

fica.

Regula XXXI. Eum, qui certus est, &c.

ficare non debet, quando is horum prius jam sufficienter conficius est. l. 1. ff. de Reali. Edict.

6 Sic universaliter nemo tenetur adversarium suum de claro Jure aut lege certiorare reddere, quia hanc quemvis scire præsumitur, cum scire debeat, indeque ignorantia hujusmodi juris ipsum non excuset juxta Regulam 13. Jur. in 6. Ignorantia facti, non Juris excusat: & dicta ibidem. Prout etiam necesse non est, aliquem monere, vel certiorare reddere de die solationis, ubi is in contractu est appositus; quia debitor in tali causa præsumitur jam certus, cum dies ipsa interpellat pro homine l. M. quam. 12. C. de contrahend. stipulat. cum concord.

7 Sic ulterius in specie arripens in causa litigiosa iter ad Curiam Romanam (scilicet Prælato inferiori Judice, non tenetur illi communicare iter aggressum, minus attentari insinuare appellationem, vel eum de hac certiorare reddere, quia ipsamet Prælati scivit, vel scire debuit, iter ad Curiam Romanam arreptum habere vin appellationis arg. c. Si duobus. 7. & c. Meminimus. 9. de Appellat. ac stante hujusmodi appellatione excommunicationem non subsistere. c. Ad præsentiam. 16. de Appellat. cum concord. Hinc in sensu Regulae n. 3. postea notanter additur: si de re notitiam jam habet, vel saltem habere debet; cum scire & scire debere pro eodem sumantur per dicta in Regulam 13. Jur. in 6.

8 Quæritur II. An, & quas Fallentias habeat præfata Regula? Resp. Eam universaliter fallere in iis, in quibus ulterior denuntiatio, seu insinuatio rei alias jam notæ non idè sit, ut alter, cui fit, acquirat rei majorem vel certam notitiam: sed idè, quia ulterior certioratio, seu denuntiatio ex dispositione Juris requiritur ad substantiam & valorem actus, uti cum Dyno hic n. 4. communiter advertunt Doctores arg. l. Denuntiatio. 17. ff. de Adult. & clarè patebit adducendo ad propositum exempla Juris: Sic enim

9 Primo sufficientem notitiam rei jam habens reus absens, ut contumax declarati, & contra eum quàm talem præcedi non potest, nisi prævia trina, vel unatribus æquivalente peremptoria citatione in jus fuerit vocatus; quia sic in Jure expressè disponitur l. Ad peremptorium. 68. cum seqq. ff. de Judicis. & l. Contumacia. 53. ff. de Re judicata. ibi: Consumax est, qui tribus edictis præpositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, literis evocatus præsentiam sui facere contemnit: Et amplius diximus Lib. II. Tit. 14. de Dolo & Contumacia.

10 Secundo, ut quis etiam scelerum suorum bene conficius privilegio clericali legitime exuatur, trina monitio prævia de Jure necessaria est, textu claro c. Contingit. 45. de Sentent. Excomm. junctâ Clement. 1. de Vita & honest. Cleric.

11 Tertio pariter requiritur prævia trina monitio, ut quis per Judicem Ecclesiasticam excommunicatione majori feriat. c. Constitutionem. 10. de Sentent. Excomm. in 6. ibi: Judices sine monitionibus tribus aut tribus, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentium intervalla, & amplius habetur Lib. V. Tit. 39. de Sentent. Excomm.

12 Quarto, quavis testes præsentem audiant voluntatem testatoris, & omnia circa testamentum ritè peragi videant: tamen pro valore testamenti non sufficiunt, nisi testes ut actu adfint, fuerint rogati. l. Heredes. 21. §. 2. ff. qui Testamenta facere possunt. ibi: Testes rogati adesse debent. cum concord. & jam dictum est Lib. III. Tit. 26. de Testam. n. 21.

13 Quinto, Esti Judex causam inter aliquos controversam per se optinè competam habeat: tamen

men in ea judicialiter procedere non potest, nisi à partibus imploratus, & judicialiter informatus fuerit, non ut notitiam acquirat, quam jam habet, sed ut iudicij & processus forma servetur. l. Dies. 4. §. Hoc autem §. ff. de Damno infello. ibi: Hoc autem iudicium certam conditionem habet, si postulatum est: ceterum qui non postulavit, experiri non potest. Postulare autem proprie hoc dicitur pro tribunali petere, & non alibi, junctâ auhent. C. quomodo & quando judic.

Secundo Venditor, moræ bene conficius non tenetur emptori de evictione, nisi ab emptore fuerit laudatus, sive de lite, ut causam defendat, prius admonitus. l. Emptor. 18. & l. Empti. 21. C. de Evict.

Septimo Clerici concubinarij, vel alias suspectam mulierem in propria domo, vel extra illam frequentantes, quantumvis scelerum suorum confici, fructibus beneficii, ex parte vel toto, aut ipso beneficii privari non possunt, nisi certe præcedant monitiones juxta præscriptum Concilii Trident. Sess. 25. cap. 14. de Reform. cujus textus hac de re relatu omnino dignus est, ibi: Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitie foribus immundoque concubinato versari, satis res ipsa communi si delitium omnium offensione, summoque Clericalis in litia dedecore, restatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vite integritatem ministri Ecclesie revertantur; populusque hinc eos magis discat revereri, quòd illos vix honestiores cognoverit: prohibet Sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspitio, in domo vel extra derinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin panis à sacris Canonibus v. l. statutus Ecclesiarum impositus puniantur. Quid si à Superioribus moniti ab eis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quoruncumque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesie, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel alia femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiis ipsorum administratione, quas Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officijs & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhábiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officijs in posterum reddantur, donec post manifestationem vite emendationem ab eorum Superioribus cum eis ex causa visum fuerit dispensantur. Sed, si postquam eas semel amiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adungere ausi fuerint, præter prædictas penas ex omnium cationis gladiò plectantur. Nec quis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediatur aut suspendatur: supra dictarumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficii Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumacie perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris panâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsque modis, juxta sacros Canones

pu.

puniantur. Episcopi quoque, quod obis, si ab hujusmodi crimine non abstinerint, & a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sunt suspensi: & si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpe etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

16 Porro quibus poenis aliis subjaceant Clerici in casibus viventibus, vide Lib. III. Tit. 2. de cohabit. Cleric. & mulier. §. 2. per totum.

17 Ceterum bene advertit Dynus hic n. 5. quod in dubio, utrum ulterior monitio vel certificatio a-

lias jam certificati sit de forma & substanti actus, ea non, sed contra presumatur, nisi aliter probetur; cum denuntiationes ordinariè ideo tantum fieri soleant, ut intentiones certificet. l. Item veniunt. 20. §. Petam. 1. ff. de Heredit. petit. junctà l. Aut qui aliter. 55. Et si forte. 2. ff. quod vi aut clam. Licet ceteroquin etiam ad propositum quod quis scientiam & notitiam de re aliqua jam habeat, consequenter ulterius certificari non debeat, non presumatur, in his, quæ sunt facti alieni, nisi probetur. Strein hic n. 1. cum aliis juxta Reg. 47. Jur. in 6. Presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

REGULA XXXII.

Non licet actori, quod reo licitum non existit.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Est expresse negativa, & tacite affirmativa.
- 3 Ponitur versus sensus Regule.
- 4 Favorabiliores sunt partes Rei, quam Actoris. Ibid.
- 5 Regula declaratur exemplis Juris: & quinque sequ.
- 6 Plura licent reo, quæ actori non licent: enumerantur, & trib. sequ.
- 7 Reus non tenetur actori edere sua instrumenta, bene tamen e contra.
- 8 Reus admittitur ad Juramentum suppletorium & purgatorium; sed non e contra.
- 9 Reus potest excipere contra actorem excommunicatum; non e contra.
- 10 Fallit Regula primo: quia Actor potest extraordinarium Judicium petere; non item reus.
- 11 Secundo, quia potest ex pluribus ordinariis Judiciis unum pro libitu eligere; non item reus.
- 12 Tertio, quia actor reum de crimine accusare; non vero reus nisi purgatus, illum reaccusare potest.
- 13 Defensio non relatione criminum, sed innocentia fieri debet. Ibid.
- 14 Actor suum libellum explicare potest, non Reus.
- 15 Actor probat furti Rei admittitur ad juramentum de amissa quantitate: non item Reus ad juramentum purgatorium.

Regula hæc desumitur ex l. Non debet. 41. ff. de Reg. Jur. ibi: Non debet Actori licere, quod Reo non permittitur.

2 Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam quidem expresse esse negativam, tacite tamen etiam affirmativam, siveque partim affirmativam, partim negativam, consequenter sic intelligendam: quod Reo non licet, nec Actori licitum est: item, quod Actori licet, etiam Reo licitum existit. Idque non ideo, quia correlativi sunt, ac propterea, ob æqualitatem servandam, quod uni licet, etiam alteri licitum esse debet, uti post Gloss. in Clement. Sepe. V. Voluerit. de Verb. Signif. vult Barb. in Axiomat. Jur. axiom. 10. n. 7. & sequ. Cum id Regula minime asserat, sed præcisè insinuare intendat, Actorem non esse melioris conditionis, quam Reum, consequenter, quod illi licet, etiam huic licitum esse debere, ac quod illicitum huic etiam illicitum fore illi; Non vero: quod licet Reo, etiam Actori licere: aut quod Actori non licet, nec Reo esse licitum: cum causa rei favorabilior sit, quam Actoris juxta Reg. 125. ff. de R. J. & Reg. 11. de Reg. Jur. in 6. Hinc

3 Resp. II. Verus, ac genuinus sensus Regule hæc est: Quidquid in judicio ad promovendam, & asse-

quendam suam inventionem Actori permittitur, a fortiori etiam Reo ad se defendendum, suamque exceptionem fundandam permittendum erit: Et quidquid in præfatio sensu Reo non licet, multò minus Actori licebit. Ratio manifesta desumitur ex utraque Regula Juris Canonici & Civilis; hæc siquidem numerò 125. ff. de R. J. sic sonat: Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. Canonica verò numerò 11. sic: Cum sunt partium Jura obscura, reos favendum est potius, quam actori: Idque ob rationes supra in hanc Regulam 11. jam allegatas.

Declaratur & firmatur Regula, ejusque sensus variis exemplis ex Jure desumptis: sic enim loquendo de sensu affirmativo, si Actori petenti conceditur dilatio propter testes, etiam Reo concedi debet. Dynus hic n. 1. Tacit. n. 4. arg. l. Patet. c. C. de Tempor. in integr. restitut. cum concord.

Loquendo de sensu negativo: quia post cognitatas testimonium depositiones ulterior productio testimonium non est licita Reo. Novell 90. cap. 4. §. Illud tamen, multò magis illicita erit Actori, ob rationem n. 3. allegatam. Strein. hic n. 1.

Item: quia post litem contestatam non amplius licet Reo revocare Procuratorem. l. Post litem. 17. & l. que omnia. 25. ff. de Procurat. multò minus id licebit Actori. Dynus hic n. 2.

Item: quia Reus coram Judice delegato contentus cum clausula commissionis inserta: ut remota appellacione procedat: non potest appellare, a fortiori prohibita appellatio erit Actori c. fin. de miris. petit. si hic coram eodem Judice reconveniat. Gloss. in Clement. Sepe. de Verb. Signif. Decius in Regulam. 41. ff. de Reg. Jur.

Uterius: quia Reus pro suo Procuratore non potest constituere militem: l. Neque famina. 54. ff. de Procurat. Nec Actori id poterit.

Rursum, si Actor in causa civili impetrat, ut Reus personaliter compareat, personaliter quoque comparere debet Actor. Gloss. in c. 2. de Mutuis. petit. Decius loc. cit. n. 2. Baldus & alii.

Imò non tantum illicita Actori sunt ea, quæ Reo non licent, sed insuper multa Reo permittuntur à Jure, quæ Actori non conceduntur: sic enim præterea, quæ ad Regulam 11. diximus, primò Reo conceduntur de Jure recursus orie, ac etiam deliberatorie dilationes, non item Actori. Authent. offeratur. C. de litis contest. Et illi plures quam huic permittuntur dilationes probatorias. l. fin. ff. de Revis.

Secundò; Reus non tenetur sua instrumenta edere Actori ad fundandam suam intentionem l. qui accusare. C. de Edendo. licet actor subinde sua instrumenta edere debeat reo ad probandam suam Exceptionem.

Tertio; quando Actor non plenè probat, in Civilibus, Reo potius, quam Actori defertur Juramen-

mentum suppletorium. c. & §. fin. de Jurejurando. & amplius diximus Lib. II. Tit. 24. eod. a. n. 191. In Criminalibus verò Reus non convictus, sed graviter suspectus & gravatus admittitur ad Juramentum purgatorium c. 1. & 2. de Purgat. canon. cum Concord. cum tamen in istis criminalibus Actor in vim probationis jurare nunquam permittatur.

Quartò Potest Reus contra Actorem excommunicatum excipere, non sic contra Reum ut talem Actor. c. Intelleximus. 7. de Judiciis. ubi Summarium sic habet: Excommunicatus, in judicio nisi tanquam reus stare non potest. Quæ & similia Reo, non item Actori sunt licita; quia juxta duplicem Regulam n. 3. citatam favorabiliores sunt partes Rei, quam Actoris.

Queritur II. An, & quas Fallentias Regula XXXII. patitur, ita ut Actori liceat, quod Reo licitum non existit? Resp. Eam fallere in sequentibus; & quidem primò potest Actor petere, & per Rescriptum Principis extraordinarium Judicem impetrare, atque ad illum trahere Reum l. Si quando. 2. C. de Dilat. quod tamen vicissim Reo minime permittitur. Novell. 69. cap. 1. Dynus hic.

Secundò, quando Actor plures habet Judices ordinarios, potest unum pro libitu suo eligere. l. Cum Clericis. 25. pr. C. de Episcop. & Clerico. junctà l. fin. C. ubi in rem actio. Et tamen id non licet Reo, utpote qui nullum ordinarium Judicem recusare, sed coram eo per Actorem conventus comparere tenetur. l. Nemo. 4. C. de Jurisdic. omn. Judic.

Tertio Potest Actor Reum de crimine accusare coram competente Judice: & tamen Reus nisi prius purgatus Actorem coram eodem judice reaccusare non valet. l. Neganda. 10. C. qui accusare non poss. quia non relatione criminum, sed innocentia sua se purgare debet Reus, claro textu, l. Si quis. 5. pr. ff. de public. Judiciis. ibi: Si reus solutus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quam fuerit excusatus. Constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia Reus purgatur.

Quartò, si ante obcuritate libelli sensum ejus declarare Actori, non item Reo licet l. Inter. 83. §. 1. ff. de Verb. oblig. sic suadente æquitate, hoc ipso, quod Actori intentio & sensus proprii libelli melius perspicuus censeatur, quam Reo.

Quintò, quando Actor res sibi à Reo ablatas debite probavit, admittitur ad Juramentum de asserenda earum quantitate c. fin. de His, que vi metusque causã. ubi tamen in tali casu ad Juramentum purgatorium nullò modò admittitur Reus; quia facta contra illum probatio furti vel rapinæ eundem suspectum jam & odiosum reddit.

Secundò Permissum est Actori etiam die feriato nuntiationem novi operis facere: non tamen licet Reo hujusmodi feriato die remissionem nuntiationis petere. l. 1. §. 4. ff. de Novi oper. Nuntiat. Et merito; quia in nuntiationis mora longè majus periculum est, quam in dilatione remissionis, prout ex rei natura patet.

REGULA XXXIII.

Mutare quis consilium non potest in alterius præjudicium.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Est intelligenda, quando alteri jus in quaestum.
- 3 Mutare consilium, quando nemini præjudicat, laudabile & prudentis est: Eidem, & opinioni sue tenaciter inhaerere si circumstantiæ & æquitas aliud exigunt, pertinacia & superbia est. Ibidem.
- 4 Laicus Patronus cumulando potest mutare, & præferre alium.
- 5 Procurator, re adhuc integra, mutari potest.
- 6 Ponitur versus sensus Regule.
- 7 De Fallentis Regule remissio.
- 8 Filius repudians hereditatem paternam potest mutare, & eam adhuc adire.

contrario, ubi præjudicium & detrimentum alterius abest, mutare licet.

Imò quando mutatio consilii nemini præjudicat, nec aliàs à Jure communi prohibita existit, subinde non tantum licita, sed etiam laudabilis est, ut si mantentur circumstantiæ, aut novæ superveniant, aut jam existentes prius minus considerate, aut per genuinam informationem primò sufficenter cognitæ, atque consilii mutationem exigere visæ fuerint: tunc enim prudentis & sapientis est mutare consilium. arg. l. Nonnunquam. 8. ff. de Collatione bonorum. Ubi e contra in hujusmodi circumstantiis consilio, opinioni, resolutioni sue tenaciter inhaerere evidens signum est pertinaciæ, & occultæ superbiæ, quæ pro conservanda reputatione, aut æstimatione, & ne quis inconstans, levis, aut ignarus vel minus doctus & expertus appareat, mutare & revocare erubescit, effectu proflus contrario ordinariè subsequente; cum ita tenaciter sensui suo inhaerens non vir constans, prudens & doctus, sed pertinax, imprudens, simulque occultè superbus, aut certè ex proprio interesse, passione, affectu vel respectu privato procedens plerumque reputetur, & non raro etiam propriam conscientiam multum gravet, præsertim quando satis apparet, quòd, nisi mutetur vel revocetur consilium, opinio, votum, resolutio & bonum commune, aut tertius patietur; dum e contra exigentibus circumstantiis consilium suum mutans aut revocans, non inconstans, levis aut ignarus, sed vir prudens, veritatis & æquitatis amans, indifferens, Deum timens, humilis ac tractabilis, simulque doctus habeatur, æstimetur, & diligatur. Præsertim cum etiam prudentissimi doctissimi, piiissimi supreni Legiflatores, Pontifices, Cæsares ac Principes pro exigentia circumstantiarum leges, ordinationes, Resolutiones, consilia & mutare & revocare non erubescant, uti patet ex factis pulchro.

Huc Regule concordat 75. Regula. ff. de R. J. ex qua etiam desumpta censetur: Nemo potest mutare suum consilium in alterius injuriam. Consonat Regula 21. Jur. in 6. supra jam declarata: Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam esse intelligendam de illis duntaxat casibus, seu tunc solummodo locum habere, quando ex alicujus consilio, consensu, contractu, aut quocunque actu liberè & consilio facto, alteri jus jam est quaesitum, consequenter hic ex mutatione, variatione, aut revocatione pateret detrimentum, injuriam ac præjudicium, uti cum Gl. illa, Barbosa & Dyno hic committitur tradunt De Doctores per argumentum à contrario desumptum; nam hoc ipso quòd dicat Regula: Non licet mutare consilium in alterius præjudicium: bene cum Glossa inferitur; ergo à Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

Axiom. Juris. axiome 107. num. 3. Sardus Consil. 56. num. 1. Navarr. Consil. 7. num. 5. Tusch. Lit. G. Concl. 16. num. 5. quia eadem ubique est ratio Regule.

16 Obijcitur contra Regulam c. Ex parte. 12. de Officio delegati ubi prior generaliter Rescripto de conferendo Clerico N. Archidiaconatu in Ecclesia vacatura, non derogatur per Rescriptum speciale de conferendo Clerico R. Archidiaconatus dignitate. Resp. cum Glossa, tum cit. c. Ex parte, tum hic, quod ibidem, si bene intueamur, utramque Rescriptum fuerit speciale; quia primum Rescriptum tantum ad anum beneficium restringebatur, fuitque purificatum in specie; id est, in prima dignitate proximè vacatura.

17 Queritur II. An, & quas Fallentias Regula XXXIV. habeat? Resp. Eam inter alia fallere in sequentiis, & quidem primò Fallit in Privilegiis; quia Rescriptum speciale non præjudicat privilegio generali, nisi de eo fiat expressa mentio, & derogatio. Barb. loc. cit. n. 26. Tusch. loc. cit. concl. 36. n. 99. Gloss. in c. Cum Ordinem. de Rescript. & hic, arg. cit. c. Cum ordinem. ibi: Non facta mentione Cisterciensis Ordinis.

18 Quin imò etiam secundum privilegium speciale non tollit primum generale eidem contrarium, nisi expressa derogationis fiat mentio, ut ait Gloss. hic. v. Generi. arg. c. Veniens. 19. de Prescript. ibi: Non obstante privilegio Clementis Papæ, per quod privilegio suorum Antecessorum non extitit derogatum; cum de ipsis nullam fecerit mentionem.

19 Nec dicas: Rescriptum speciale derogat generali, si sit secundum, siue primum: ergo idem dicendum de Privilegio. Resp. enim. Gloss. hic, negando paritatem; quia arg. c. Veniens. 19. de Prescript. etc. Decret. 6. de R. G. Jur. in 6. cum Concordant. semper valet primum privilegium, siue sit generale, siue speciale, si in secundo non tollatur expressè. Ratio disparitatis est inter Rescriptum & Privilegium; quia per primum privilegium etiam

generale consequitur quis Jus plenum: per primum Rescriptum generale verò non acquiritur plena jurisdictione in speciebus. arg. c. Postoral. de Rescript. non ante expressionem personarum vel rerum delegatus solum in habitu habet jurisdictionem, non verò in actu, & idèò facilius tollitur prius Rescriptum, quàm privilegium.

Fallit secundò, quando genus in una tantum specie verificatur, & consequenter hæc illi contraria non est, quia tunc genus pro specie reputatur. Barb. loc. cit. num. fin. Menochius Consil. 71. num. 23. arg. l. 2. ff. de Liber. & posthum. cum Concord.

Fallit tertio, si species præcisè adducitur pro majori declaratione generis. Barb. loc. cit. n. 22. Tusch. lit. G. Consil. 36. nu. 103. Ratio est; quia ibi nulla intervenit contrarietas.

Fallit quarto, & quidem universaliter, quando per genus jam est questum Jus tertio; tunc enim generi per speciem non derogatur, nisi exprimat. arg. c. Super eo. 15. de Officio delegati. & l. qui Generaliter. 2. ff. qui pator. in pign. hab. Gloss. in cit. c. Super eo. v. Anter. & Marginalis. hic. Exemplum esto: quando quis alicui creditor generaliter omnia sua bona per hypothecam obligavit, & postea cuidam prædium, aliquod in specie hypothecavit, non derogat hypotheca specialis hypothecæ generali; quia prior creditor per generalem hypothecam in cuncta bona debitoris jus eatenus acquisivit, quatenus non amplius in potestate debitoris est, aliquod ex suis bonis alteri per specialem hypothecam obligare, & per hanc supervenientem creditoris prioris jus lædere, ejusque conditionem facere deteriorem, textu claro l. Si generaliter. 6. C. qui postior in pign. hab. ibi: Si generaliter bona sint obligata, & postea res alii specialiter in pignus detur etc. non oportet se ab eo, qui postea creditur, inquietari. junctâ l. qui generaliter. 2. ff. eod. ubi idem repetitur.

REGULA XXXV.

Plus semper in se continet, quod est minus.

S U M M A R I U M.

- 1 Regula unde desumpta? & quibus concordet?
- 2 Plus & minus diversimodè sumitur.
- 3 Ad præsentem sumitur plus in quantitate & toto. Ponitur verus sensus Regule. ibid.
- 4 Procedit Regula in plurimis, uti ultimis voluntatibus.
- 5 In Contractibus.
- 6 In sententiis & Judiciis.
- 7 Solvitur obliquo. & duobus seqq.
- 9 Regula affirmativè, non item negativè procedit.
- 10 Solvitur obliquo de contractibus.
- 11 Solutio universalis.
- 12 Fallit Regula in volente non totam, sed partem hereditatis adire. Nemo partem testatus, partim intestatus decedere potest. Ibid.
- 13 In generali mandato non includuntur ea, quæ speciale mandatum exigunt.

Regula hæc deprompta habetur ex l. In eo. quod plus sit, semper in se minus. & l. In toto. 113. ff. eod. ibi: In toto & pars continentur: cui sub modo concordant etiam pluræ alie Juris Regule, veluti § 3. de R. J. in 6. ibi. Cui licet, quod est plus, licet utrique, quod est

minus. Item 80. eod. Tit. In toto partem non est dubium contineri. Item Regula. Non debet. 21. ff. de Reg. Jur. Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem Notandum cum Barb. hic. num. 1. & aliis, plus & minus aliquid diversimodè esse & dici: & quidem primò in quantitate, uti in summa, siue numero; in mensura & in pondere respectu minoris. l. 1. §. Si stipulam. ff. de Verb. Oblig. in quo sensu decem plus est respectu quinque: quinque mensura plus sunt, quàm duæ &c. Secundò in toto, quod plus est, quàm quævis pars totius, quæ in eo continetur, & semper contineri censetur juxta cit. Regul. In toto. ff. de Reg. Jur. in quo sensu domus plus est, quàm quævis pars illius v. g. tectum, paries, l. Eum qui ades. 23. ff. de Usucap. Tertio in genere respectu specierum. l. Si Choruz. 79. pr. ff. de Legat. III. Quarto in qualitate; in quo sensu plus est obligatio pura, vel in diem, quàm conditionalis. §. Fidejussores. 5. v. Item. Instit. de fidejuss. Hòc notatò,

Resp. I. Regula intelligenda est duntaxat de plus & minus prout sunt in primo & secundo sensu, de plus in quantitate & toto integrali cum aliis loc. cit. bene observat Barbof. Quare verus Regule sensus hic est: Quantitas major siue in summa

Regula XXXV. Plus semper in se continet, &c. 63

& numero, siue in pondere aut mensura semper in se continet quantitatem minorem: Et quodlibet totum semper in se continet sui partem. Ratio Regule non tam ex Jure, quàm ex lumine naturali evidenter patet, ut bene observat Barb. loc. cit. num. 2. Tusch. Tom. 7. Lit. & Concluf. 385. & alii. Abique omni enim probatione per se naturaliter constat, plus esse centum, quàm viginti, indeque centum, quod plus est, continere in se viginti, quod minus est: consequenter eum, qui habet, promittit, debet, aut dedit centum, habere, promississe, debere, & dedisse etiam viginti. Sic priter lumine naturali evidens est, totum aliquid plus & majus quid esse, quàm hujusmodi totius partem, ac propterea in toto contineri totius partem: cum impossibile sit, subsistere, ut considerari posse totum sine sui parte, prout bene discursit D. Cores citati.

Verum quantumvis lumine naturali nota sit Regula & sensus illius, tamen per applicationem prædicta declaratur & firmatur etiam variis Juris exemplis à Glossa hic. Dyno, Peckio, Streinto, Taccino adductis, quia ferè ubique, uti in ultimis voluntatibus, sententiis, probationibus, & in quavis dispositione locum habet, uti patet ex verbo semper, & notant Doctores citati: sic enim in ultimis voluntatibus si quis intendens alicui legare quartam bonorum partem ex errore scripsit dimidiam, debetur ei quarta pars, quæ dimidia, quæ plus importat, inest. l. Qui quartam. 15. ff. de Legat. I. & l. Quoties 9. §. Si majorem. ff. de Hered. Instit. Item si quis absolutus est à petitione universalium v. g. petitione hereditatis, gaudet etiam exceptione rei judicate contra petentem partes aliquas hereditatis in singulari. l. Julianus. 3. l. Si quis cum totum. 7. ff. de Except. rei judicate. quia plus id est, tota hereditas continet in se minus, quod est quævis pars hereditatis in specie.

Sic in contractibus, si alicui stipulanti viginti, aliter decem respondeat, non nisi de decem erit obligatio textu claro l. 1. §. 4. ff. de Verb. Oblig. ibi: Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non esse contrariam obligationem nisi in decem constat. E contrario quoque si, me viginti interrogante, tu decem respondeas, obligatio nisi in decem non erit contractus licet enim oportet congruere summam, atamen manifestissimum est, viginti & decem inesse.

Sic etiam in sententiis & iudiciis, si quis absolutus est à petitione totius, absolutus etiam videtur à quavis parte fundi, ita ut petenti aliquam partem fundi obstat exceptio rei judicate. cit. l. Si quis cum totum. 7. ff. de Except. rei judicate. quia pars tanquam quid minus continetur in toto, utpote quod plus est. Sic si inter tres conjudices vel arbitros unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnat, sententia in quinque valebit; quia in hac parte omnes conveniunt, cum hæc tanquam minus quid tam in decem, quàm quindecim, utpote plus, verè contineantur. l. Diem proferre. 27. §. Si plures ff. de Recept. qui Arbitr. junctò c. 1. de Arbitr. in 6. ibi: Licet cum unus in quindecim, alius in decem, tertius verò in quinque pronuntians, illius qui dixit de Summa minore (cum in illa omnes concordæ existant) sententia ffitæ censetur.

Obijcitur autem contra Regulam 1. c. Cui de non. 27. de Præbend. in 6. ubi aperte habetur, quòd ei, cui mandatur integra, vel certi valoris præbenda conferri, non possit vi talis mandati à postolico alicui minoris valoris præbenda conferri, etiam si talis esset contentus. Resp. cum Glossa hic, id provenire ex forma mandati, quæ exactè est observanda c. Cum dilecti. 22. de Rescript. Unde in cit. c. Cui de non. in fine suæ Constitutionis Papa rationem subdit: Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter observari oportet) debent ad casus alios,

quàm expressos extendi. Accedit, quòd Regula procedat duntaxat, quando minus se habet ut pars illius, quod est majus: non verò quando plus & minus sunt species separate, uti funt duæ præbendæ, quarum una majoris altera minoris valoris est. Dyn. hic ad finem. Pirh. de Præbend. n. 267.

Obijcitur 2. Quando alicui conceditur merum imperium ut latrunculari, non censetur ei concessa cognitio de re pecuniaria l. Solemus. 6. §. Latruncularior. ff. de Jud. Ergo plus, quod hic est merum imperium, non continet in se minus, quod hic est cognitio causarum civilium. Resp. ut supra cum Dyno hic n. 6. merum imperium, & cognitionem causarum Civilium non se habere ut totum & partem, sed ut duas species distinctas & separatas arg. l. Imperium. 3. ff. de Jurisdic. quarum una, est major, non continet minorem, sed potius dum una nominatim conceditur altera denegata videtur arg. cit. l. Solemus. 6. §. Ita quis. 21. & l. Cum ex filio. 39. ff. de vulg. & pupill. substit.

Obijcitur 3. Ex eo quòd Caio viginti non debeam, haud sequitur, quin eidem sim obligatus ad decem tanquam minus & partem contentam in viginti. Resp. Glossa marginalis hic: Regula procedit, si affirmati è proferatur v. g. debeo Caio viginti ergo eidem & decem debeo: non item negativè proferatur v. g. non debeo Caio viginti, ergo non decem. Et quamvis Covarr. Lib. I. Var. Resolut. ex pluribus Doct. ribus responsum Glossæ controverfium reddat, tamen addit: etiam si, an verum sit, majori summe affirmativè inesse minorem, controvertant DD. tamen manifestum est, majori summe negativè prolata minorem nec naturaliter nec civiliter inesse.

Obijcitur 4. Præerea 5. Instit. de Inutil. stipulat. ubi si stipulanti decem, promittantur quinque, inutilis reputatur stipulatio, ibi: Præerea inutilis est stipulatio & c. si quis decem aureos à se dari stipulatur, tu quinque promittas. cum tamen quinque in decem contineantur. Resp. stipulationem inutilem solum esse quòd illa ex decem quinque, ad quæ promissor stipulanti non consentit, quoad sola quina autem, quæ promissit, validam esse stipulationem l. 1. §. 4. ff. de Verb. Oblig. per textum n. 5. citatum.

Plures alias objectiones adducit & solvit Glossa in l. Non debet cui. ff. de R. J. & universaliter facillè solvantur, respondendo, quòd exempla ex Jure in contrarium adducta non loquantur de plus & minus in quantitate, vel toto, circa quòd hæc Regula solum est intelligenda per dicta nu. 3. vel aliter rem se habere ex defectu consentis: sed adesse specialem Juris dispositionem, consequenter in ea fallere Regulam.

Queritur II An, & quibus Fallentiis subjaceat at Regula XXXV? Resp. Eam fallere 1. in casu quo hæres institutus non totam hereditatem, sed unam vel alteram duntaxat partem illius adire, so reliquam repudiare vult; quamvis partes hereditatis in hac tota contineantur, tamen Jura expressè volunt, ut vel totam adeat, vel penitus abstineat, ne quis partim testatus, partim intestatus decedere videatur. arg. l. Sed est. 2. ff. de Acquirend. hered. & l. Jus nostrum. 7. ff. de R. J. ibi: Jus nostrum non patitur, eundem in paginis & testato & intestato decessisse, eorumque rerum naturaliter inter se pagina est, testatus & intestatus.

Fallit 2. In Procuratore generaliter constituto, utpote qui non admittitur ad ea, in quibus speciale exigitur mandatum. c. Qui ad agendum. de Procurat. in 6. licet cæterogam semper generalibus specialia insint. l. Semper. 147. ff. de Reg. Jur.

REGULA XXXVI.

Pro Possessore habetur, qui dolo desit possidere.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde proveniat? & quibus concordet?
- 2 Fines Regule est, avertere fraudem possidentium, & damnum eorum, ad quos res pertinet.
- 3 Intelligenda est tam de bonis, quam male fidei possessoribus.
- 4 A: etiam de illis, qui possidere dolo omiserunt.
- 5 Item de illis, qui non quidem dolo, lata, tamen culpa possessionem deseruerunt, vel acquirere omiserunt.
- 6 Lata culpa, & dolo equiparantur in civilibus. Ibid.
- 7 Dolo, vel lata culpa, possessionem deserens, vel illum non acquirens habetur possessor in sui damnum, non in sui commodum.
- 8 Dolo non presumitur, sed probari debet: Probatur ex conjecturis.
- 9 Ponitur versus sensus Regule.
- 10 Fraus & dolo nullas patrocinari debet. Ibid.
- 11 Fictione Juris censentur aliqua esse, que non sunt.
- 12 Contra illum, qui actu adhuc male possidet, datur actio directa: & contra illum, qui fictione Juris pro tali habetur, actio utilis.
- 13 In quo differant hæc actiones? Ibid.

Definitur hæc Regula ex l. qui dolo. 171. ff. de Reg. Jur. ibi: Qui dolo desit possidere, pro possessore damnatur: quia pro possessore dolo est. Cui concordat l. Pare esse. 150. ff. de l. Pare esse conditionem oportet eius qui dolo possidet, vel habet, atque ejus cuius dolo factum est, quod minus possideret, vel haberet. Item l. A. l. ea. 157. ff. eod. ibi: Semper, qui dolo fecit, quod minus haberet pro eo est habendus, quasi haberet.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? quid principaliter intendat? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam intelligendam de dolo malo, & principalem finem illius esse, avertere fraudem possidentium, ne dolose possessionem deserentes illis iniuste noceant, ac præjudicent; qui rem a possessore iuste vindicare intendunt. Quando enim male fidei possessor rem ad aliam pertinere, huncque eam vindicare velle advertens, illam abluunt, destruit, vendit, distrabit, ne ut possessor conveniri valeat, & eam subinde etiam cum fructibus restituere teneatur, dolose possessionem deserit, alter iniuste præjudicat, & nocet, indeque fictione Juris adhuc pro possessore habetur, quatenus ut talis vindicatione rei conveniri possit, l. Sin autem 27. §. 3. ff. de Rei Vind. actione saltem utili, qua petitur ut rem suam, quam alter possidere dolo desit, & distraxit, ab eis ad quos pervenit, distrahens iterum recuperet, & restituat, vel si id præstare nequeat, (quia forsitan res jam est destructa) ad estimationem condemnatur. l. Qui restituere 68. §. Si verò ff. de Rei Vind. Hinc bene ad propositum Glossa: Si tu possidisti rem meam & eamque tu dolo possidere desisti, ed quò l. data operà ad me fraudandum possidere desisti, adhuc possim agere contra te rei vindicatione, & si rem etiam non possideres. Et quidem si possis rem recuperare à novo possessore, teneberis recuperare, mihi, que restituere, similis. Iudex tamen ibi ad estimationem pretii. Ratio est; quia fraus & dolo nemini debet patrocinari c. Sedes. 15. & c. Ex tenore. 16. de Rescriptis.

Rursum intelligenda est Regula non tantum de male, sed etiam bonæ fidei possessore; nam & hic in sui damnum pro possessore fictione Juris habetur,

& pro restitutione convenitur (intellige, nisi jam legitime præscriperit) si rem perdidit dolo desit. Strein hic n. 2. & alii textu claro l. Si bone. 12. ff. de Noxal. act. ibi: Si bone fidei possessor cum servum, quem bona fide possidebat, dimiserit, ne agi cum eo noxali ex causa possit, obli gari cum actione, que datur adversus eos, qui servum in potestate habent, aut dolo fecerint, quò minus haberent, quia per hoc adhuc possidere videtur.

Uterius intelligenda est non tantum de illo qui verè possidet, & dolo desit possidere, sed etiam de illo, cuius dolo factum est, ne possideret rem, & ne ut possessor conveniatur, ac condemnatur. l. Is qui. 69. ff. de Rei vindic. ibi: Is, qui dolo fecit, quò minus possideret, hoc quoque nomine puniatur. & l. Ad ea. 157. ff. de Reg. Jur. cuius textum n. 5. allegavimus. junctâ l. Sed est. 25. §. 8. de Heredit. petit. ibi: Nam & is, qui dolo fecit, quò minus possideret, ut possessor condemnatur: accipies, si dolo desit possidere, si dolo possessionem noluerit admittere. Sabaudis in eo est cautela, ut ex contractu, vel quasi contractu teneatur possidere.

Procedit etiam Regula in casu, quo quis non quidem ex vero dolo, artamen ex culpa lata rem possidere desit, aut possessionem illius non acquirit; nam & talis rei vindicatione, actione utili conveniri potest ad estimationem rei culpabiliter amissæ, vel non possesse. Strein hic n. 2. Bart. in l. un. c. de Alienat. judic. caus. & alii. l. Si culpa. 67. ff. de Rei vindic. ibi: Si culpa non fraude quis possessionem amiserit pari debet estimationem. Ratio est, quia (exceptâ causâ criminali l. In lege. 7. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.) culpa lata, utpote dolo proxima, ordinariè equiparatur dolo. arg. l. Mulier. 22. §. 3. ff. ad S. C. Trebell.

Porro, quòd hæc non dicitur esse, eam, qui dolo, aut lata culpa possidere desit, aut acquirere omisit, fictione Juris haberi pro possessore, intelligi debet in sui damnum, quatenus videlicet ut possessor possit rei vindicatione, directa vel utili actione conveniri ad restitutionem, vel estimationem rei; non verò in sui commodum, ut tanquam possessor habitus aliquod commodum inde sentiat. Dyn. hic n. 3. Vivian. hic Strein hic n. 3. arg. l. qui dolo ff. de R. J. ne aliàs ex iniquitate commodum reportet con c. Ex parte de Rescriptis.

Ceterum notandum, quòd dolo non præsumatur, sed probari debet. Dyn. loc. cit. n. 4. l. Quoties. 18. §. Qui dolo ff. de Probat. Probatur autem dolo ex conjecturis c. 2. de Renun. in 6. ut si, postquam jam oblatus fuit libellus, vel quòd illum offerre vellet, insinuationem est possessor, & multò magis si hic jam fuit citatus, aut jam esset confestaturus litem, & tamen desinere possidere, præsumitur dolo desinere. Dyn. hic n. 4. arg. l. Quædam. 9. §. Nihil. ff. de Edendo. cum Concordant.

Resp. II. Verus sensus Regule hic est: Qui rem aliquam bonâ vel malâ fide possidet, eamque ab alio vindicandam advertens, illum dolo malo, aut lata culpa possidere desit, eandem consumendo v. g. vel destruendo, aut in alium distrahendo, pro possessore adhuc in sui damnum habetur, & ut talis pro restitutione vel estimat one rei conveniri potest. Per Jura hæcenus allegata, & Ratio est; quia aliàs ex fraude & dolo quis commodum, & innocens incommodum ac præjudicium frequenter reportaret contra c. Sedes. 15. & c. ex tenore. 16. de Rescriptis. ibi: Fraus & dolo alicui patrocinari non debent, junctâ l. Ne ex dolo. 12. ff. de dolo malo.

Exigua

Regula XXXVII. Utile per inutile &c.

Exigua est contra Regulam objectio, quod possessio sit facti. l. 1. pr. & §. 1. ff. de Ad. iur. posses. ergo non possessio, quæ per desertionem evenit, eidem comparari, & possessor ac non possessor equiparari, pro eodemque haberi nequeunt. Resp. enim, non possunt equiparari naturaliter, conceditur, fictione Juris in ordine ad obtinendos eisdem effectus, negatur. Hinc in Jure plura similia habentur exempla: sic enim l. 2. C. de Impub. subst. r. Pater & filius quoad effectus pro una, eademque persona sumuntur. Et c. Ad audientiam. 15. de Cleric. non res. fid. Clericus in servitiis Episcopi absens habetur pro præsentem; ac Monachus vivus pro mortuo reputatur. can. Placuit. 8. cau. 16. q. 1. ibi: quia mundo

mortuus est, Deo autem vivit, cum Concord. Non majoris difficultatis est illa, quâ dicitur: Contra possessorem rei actualem datur actio directa, contra eum verò, qui dolo desit possidere, actio tantum utilis: ergo equiparari nequeunt. Resp. quòd et si actio directa & utilis origine differant, in effectu tamen ad propositum obtineant idem, solâ illâ cum differentiâ, quod actione directa semper resp. a apud possessorem adhuc existens vindicetur; actione verò utilis id obtineatur, ut res in alterum distracta per dolosè distrahentem iterum recuperetur, & restituatur in natura, aut si fieri amplius nequit, re forsitan jam destructâ, estimatio illius præstetur. l. qui restituere. 68. §. Si verò. ff. de Rei vind.

REGULA XXXVII.

Utile per inutile non debet vitari.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Utile & Inutile quid?
- 3 Ponitur versus sensus Regule.
- 4 Valdè late procedit.
- 5 Declaratur exemplis. & quatuor seqq.
- 6 Plura promittenti, quàm sibi petitum valet quoad minus.
- 7 Superflua verba non vitiant scripturam.
- 8 Electio valida non vitatur per invalidam confirmationem.
- 9 Quid de Alienatione honorum Ecclesiasticorum?
- 10 In Testamento utile per inutile non vitatur.
- 11 Ponitur Fallentie usque ad n. 20.
- 12 Fallit universaliter in iis, que separari non possunt.
- 13 Probatur ab exemplis.
- 14 Testimonium & Instrumentum in uno falsum, censetur ex toto falsum.
- 15 Fides est inseparabilis. Ibid.
- 16 Error grammaticalis, vel in stylo curie vitiat totum Rescriptum.
- 17 Fallit Regula etiam in sententiis.
- 18 Et Actibus legitimis.
- 19 Electio Ecclesiastica non admittit laicum.
- 20 Ex duobus delegatis, uno recusato, alter procedere non potest.
- 21 Locatio Rerum Ecclesiasticarum ultra triennium ex integro est invalida.
- 22 Regula est: Utile per inutile vitatur in separabilibus.

Regula isthæc desumitur ex l. 1. §. 5. ff. de Verb. Obl. ibi: Dux sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis, neque vitatur utilis per hanc inutilem. cum Concordant à Glossa citatis hic.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Quamvis nonnulli cum Baldo lib. 2. Feud. Tr. 34. v. Similiter, putent per utile hic intelligi omne & solum illud, quod spectat naturâ rei, de qua agitur, & dispositione legis validum, aptumque est ad validè agendum; per Inutile econtra illud, quod ad validè agendum invalidum, & ineptum est; tamen, quia multa sunt, quæ ad valorem actûs non requiruntur, & tamen utilia censentur: & multa, quæ valorem non destruant, & nihilo minus inutilia reputantur, uti patet ex infra allegandis exemplis: idè, loquendo in latiori sentia per Utile hic omne illud intelligi volunt alii, quod vel ad valorem rei, de qua Rescriptum Jus. Can. Tom. VI.

agitur, requiritur, aut ad eundem servit, vel aliàs pro eadem re, etiam abstrahendo à valore, pro meliori, firmiori, aut securiori illius esse, conduens & aptum est: Per Inutile verò illud intelligi, quicquid contra legem, vel aliàs ad naturam rei, de qua agitur, & valorem illius ineptum est. Taccin. hic. Strein hic. n. 1. Hinc

Resp. II. Verus sensus Regule hic est: Quicquid ex se, si ve de Jur. validum, vel aliàs ad effectum dam, firmandam, aut assecurandam rem aptum & conduens est, valorem & vim suam non amittit adjunctione, vel accessione alicujus de Jure prohibiti aut invalidi, vel aliàs inepti. Ratio est; tum quia communis agentium & contrahentium mens ac intentio est, ut ea actuum suorum fiat interpretatio, quatenus potius valeant, quam pereant, vel nullius valoris existant: consequenter si quid inutile actibus eorum admisceatur, ab eis amoveatur, vel pro non adjecto habeatur, ut in reliquis actus suum valorem retineant. c. Abbate. 25. de Verb. Signif. & l. Quoties. 12. ff. de Reb. dub. ibi: Quoties in actionibus, aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum id accipis, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat, junctâ l. Sancimus. 34. C. de Donat. Tum quia nisi hoc observaretur, & per quodvis inutile semper vitaretur utile, plurimi actus aliàs subsistentes, invalidi existerent non sine confusione & præjudicio humani commercii. Vivian. hic. Strein. n. 1.

Regula hæc latissima est, & frequentissime in praxi observanda venit, hocipso, quòd ferè in omni tam Ecclesiastica & spirituali, quàm profana materia, cum actibus locum habeat, si, ut præter se fit, eis quid inutile ac superfluum, ad rem non pertinet vel ineptum admisceatur, adeò, ut teste Dyno hic. n. 1. hujus Regule inveniantur innumerabilia Juris exempla, ex quibus patet, per adjectionem alicujus inutilis actum, ceteroquin validum, non invalidari, consequenter utile per inutile non vitari. Plurima hujusmodi exempla adducit Glossa hic, & Dynus & alii, ex quibus nos quoque pro majori declaratione & intelligentia Regule aliqua hic subiungimus.

Sic enim primò: Donatio profana inter vivos 500. solidos excedens, & sine insinuatione apud Iudicem facta, non vitatur, sed sine invalidatur quoad summam à Jure permittam, sed quoad excessum duntaxat, textu claro l. Sancimus. 34. C. de Donat. ibi: Si quid autem supra legitimam definitionem fuerit donatum, hoc, quòd superfluum est, tantummodo non valere: reliquam verò quantitatem, que intra legis terminos constituta est, in suo robore perdurare, quasi nullo penitus alio adjecto, sed hoc pro non scripto, vel non intellecto esse credatur. Et infra: Exceptis donationibus tam Imperialibus, quàm his, que in plurimas causas procedunt, De hujusmodi dona-

donatione amplius vide Lib. III. Tit. 24. §. 1. de Donat.

6 Secundum in Stipulationibus & contractibus, in quibus plus spondetur, quam petitur, nam ut dicitur l. 1. §. si stipulanti ff. de V. O. ibi: Si stipulanti mihi decem, tu viginis respondeas, non esse contractam obligationem nisi in decem, constat. & infra §. Sed si. Si mihi Pamphilum stipulanti, tu Pamphilum & Stychem sponderis, Stychi adjectionem pro supervacua habendam prout; nam si tot sum stipulationes, quot corpora, dux quodammodo sunt stipulationes, una utilis, alia inutilis: neque vitatur utilis per inutilem.

7 Tertio, quando verba superflua, inutilia, vel inepta scripturis, contractibus, vel aliis actibus adiacentur, actum non vitari aut annullari certum est. l. Testamentum. 17. C. de Testam. ibi: Cum superflua non nocent. & l. Verba superflua. 27. C. de Donat. ubi, postquam prohibitum fuit, adhibere verba superflua, deciditur, quod si tamen quisquam per verbitat in superflua verba adhibuerit, actum non vitari. junctâ l. Non solent. 94. ff. de Reg. Jur. ibi: Non solent, quae abundant, vitare scripturas.

8 Quarto, in Electionibus: Electio enim canonicè & validè facta non invalidatur per supervenientem illius confirmationem invalidam. c. Si Confirmationem. 39. de Elect. in 6. Sic etiam, etsi inter eligentes unus excommunicatus irritum dederit votum, non irritantur vota aliorum, nec vitatur, vel invalidatur electio per majora valida vota celebrata. c. Cum ex eo. 14. v. Ad haec. de Penit. & Remiss.

9 Quinto exemplificant aliqui in locatione honorum immobilium Ecclesiasticorum ultra triennium; haec enim juxta illos valida manebit quoad primum triennium, etsi invalida existat quoad tempus ulterius. Verum juxta dicenda infra n. 19. contrarium sentimus.

10 Sexto de Testamentis Dynus hæc ponit exemplum: si damno hæredem meum, & Regem Franciæ decem dare, tenetur hæres, licet Regem Franciæ damnare non potuerit. l. Si duobus. 16. ff. de Legat. I. Sic etiam si Testamentum est nullum ex causa exheredationis, vel præteritionis, in reliquis firmum manet. Authent. fin. C. de liber. præterit. ibi: Ex causa exheredationis vel præteritionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones: cetera namque firma permanent. His adeo exemplum de Tutoribus: quando enim ad contractum pupilli unus verus, alter falsus tutor auctoritatem præbuit, contractus à pupillo initus valet, & ab inutili Turote non vitatur. l. 1. §. 3. ff. Quod falso Tutore.

11 Queritur II. An, & quas Fallentias patitur hæc Regula? Resp. Plures, & quidem primò ac universaliter Fallit, quando utile ab inutili separari non potest. Gloss. hic Dynus Barbof. Vivianus & Doctores communiter, bene advertentes, quòd etsi Regula in sensu negativo ponatur, consequenter semper observanda fit, nisi spec alis ratio, vel casus specialiter in Jure exceptus addit, tamen in individuis ac inseparabilibus non procedat, quæ etiam sunt quæ à natura partibus non constant, vel ad substantiam & formam actus duo aut plura, consequenter inseparabilia quoad formam, vel absentiam unius ab altero requirunt: vel ab invicem necessariò dependent: vel ex ipsa Juris dispositione, aut agentium vel contrahentium voluntate separatim valorem non habent: vel alias separari non possunt. Patebit res ad dicenda plura exempla in specie: Vivianus post Glossam ponit sequens.

12 Sic habeo servitutum ducendi ad aquam certum numerum pecorum, & majorem eorum numerum ducam, utilis concessus numerus per inutilem excessum non vitatur, quia hic ab illo per dominum separari potest. l. 1. §. 18. ff. de Aqua quotid. & qstiv.

ibi: Si quis jus habens pecoris ad aquam appellendæ plura pecora appulserit, non in omnibus pecoribus eum prohibendum, quòd est verum, quia pecora separari possunt. Si verò habeo servitutum ducendi aquam per fundum tuum, & ego aliam aquam illi immisceo, a toto potero prohiberi, quia aqua mixta inseparabilis est, textu expresso cit. l. 1. §. 17.

Ex priori universali Fallentia sequitur, & fallit 13 Regula secundò in testimonio, quòd testis fert; si enim una pars illius falsa reperitur, totum hujusmodi testis testimonium corrumpit. Barbof. hic. n. 2. cum communi aliorum. can. Pura. 17. cau. 3. q. 9. ibi: Totum testimonii fidem partis mandacib. decolorat. Pariter totum Instrumentum à Notario publico confectum fidem, & probandi vim amittit, si in una parte falsum deprehenditur. arg. l. 2. C. de veteri Jur. encl. & ibi Gloss. ff. Libri. communiter recepta, junctò can. Si od scripturas. 7. dist. 9. Ratio utriusque est, quia etsi partes tam testimonii, quam instrumenti separabiles existant, tamen fides notarii & testis indivisibilis est, in dæque si falsitas in una parte appareat, totum testimonii vel instrumenti labefacta fidem, illudque suspectum reddit. Concordat doctrina S. Augustini, qui ob indivisibilitatem fidei dicere non dubitavit, quòd si sacræ Scripturæ aliqua etiam officiosa duntaxat mendacia essent inserta, totius scripturæ corrueret Auctoritas, & referret cit. can. Si ad Scripturas. dist. 9. Pariformiter ob indivisibilitatem S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. docet, quòd unum articulo fidei non credendum in nullo retinetur in Catholicam. Ceterum de fide Attestationum & Instrumentorum amplius vide lib. II. Tit. 20. de Testibus, & Authent. Item Tit. 22. de fide Instrum.

Fallit tertio in Rescriptis, seu litteris Apostolicis, si in eis reperitur solæcisus, seu vitium constructio- nis, vel phrasæ à stylo curiæ aliena: quia unicus talis defectus notabilis fidem & vim probandi toti Rescripto aufert. c. Ad audientiam. 11. de Rescript. ibi: Quibus litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te volumus adhibere, quia merito præsumitur, illud à Sede Apostolica non fuisse emanatum, cum per plures manus transeat, & omni errore carens stylo conforme semper expediat. De quo plura habes Lib. I. Tit. 3. de Rescript. §. 9. à n. 212.

Fallit quarto in sententiis, v. g. aliqua Judicis, qui debitorem certæ summæ centum florenorum, ad majorem summam, v. g. centum quinquaginta florenorum condemnat; talis enim sententia nec quoad minorem verè debitam sumam valet. Barb. hic. n. 1. Taccin. n. 20. Pech. n. 12. quia sententia indivisibilis est, & non potest ex uno judicio res judicata in partem valere, & in partem non valere, ut dicitur l. In hoc judicio. 27. ff. Famil. Hereticum.

Fallit quinto in Actibus legitimis, si eis conditio 16 apponitur contra Reg. 50. Jur. in 6. sic habentem: Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem, ut magis patet per exempla, quæ pro declaranda hæc Regula quinquagesima adducuntur infra.

Fallit sexto in Electione Prælati Ecclesiastici à Clericis & laicis simul celebrata: etiam si major pars Electoribus unum certum pro Prælatò eligat, quia de substantia Electionis Ecclesiasticæ est, ut ad eam nullus laicus concurrat. c. Massana. 56. de Elect.

Fallit septimo in casu duorum delegatorum, 18 quando unus ob justam suspensionem causam recusatus est; quia recusatus unus, collega, qui unam cum ipso Jurisdictionem habuit, amplius procedere non potest. c. Cum super. 23. de Offic. delegati. & c. Judex. 5. eod. in 6.

Fallit octavo in locatione rerum Ecclesiasticarum 19 ultra triennium, si locatio non contracta irrevocabili ad longius tempus fiat: vel si repetitur qui-

quidem, ita tamen, ut vi contractus in potestate locatoris non sit, locationem ulterioiorem denegare, prout amplius declaratum & probatum habes lib. III. Tit. 18. §. 1. de locato & conducto à n. 23.

20 Ex quibus hætenus dictis cum Barbof. hic. &

Glossa hæc communiter recepta mer. to subiungitur: quòd licet in separabilibus & divisibilibus Regula negatiua sit, & semper procedat: Utile per inutile non debet vitari: sic alia Regula affirmatiua in contrarium poni valet: In iis, quæ inseparabilia, ac indivisibilia sunt, utile per inutile vitatur.

REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisi extitit impugnare.

SUMMARIUM.

- 1 Regula inde desumpta.
- 2 Intellegenda est de Impugnatione in iudicio.
- 3 Ponitur versus sensus Regula.
- 4 Quod quis juris in alterum statuit, eò & ipse uti debet. Ibid.
- 5 Impugnans rem in iudicio censetur renuntiare Juri ex illo aliàs competenti.
- 6 Qui dicit Decretales Epistolæ non esse Authenticas, non potest illas pro se allegare.
- 7 Testamentum tanquam falsum, aut inofficiosum impugnans nulli percipi ex illo. Secus est, si illud ut minus solemne impugnet. ib.
- 8 Impugnans Instrumentum vel testem nequit illum pro se allegare.
- 9 Fallit Regula 1. quando quis ante sententiam desinuit impugnare, & desistit. Penitentes digni sunt v. nia. Ibid.
- 10 Fallit 2. quando quis alieno nomine ex officio impugnat.
- 11 Fallit 3. quando non est eadem materia.
- 12 Et 4. respectu tertii.

1 Desumitur Regula ex l. Papinianus. 8. §. 14. ff. de Inofficioso Testamento. & c. Cum olim. 19. de Censib.

2 Queritur I. Qualiter hæc Regula intelligenda? & quis versus illius sensus sit? Resp. I. Regulam intelligendam esse de Impugnatione in iudicio, in quo licet si quis aliquando quid approbavit, amplius reprobare non potest l. Pomponius. 9. ff. de Negot. g. si junctâ Reg. 21. de Reg. Jur. in 6. Quòd semel placuit, displicere amplius non potest. Sic e contrario, quòd semel quis reprobat, aut impugnavit, pro suo commodo & fructu approbare, adducere, & uti amplius nequit l. Dispensatorem. 62. ff. de Solut. quòd juxta Taccin. hic. n. 1. & alios Doctores ideo statutum censetur, ut inconstantiæ in iudicio evitentur, & inconstantes saltem in tantum puniantur, quatenus fructum aliquem ex ea re, quam impugnant, non percipiant, quem aliàs percepissent, si illam rem non impugnassent.

3 Resp. II. Verus sensus Regule hic est: Qui Legem, Rescriptum, Instrumentum, Attestationem, Contractum, Testamentum, vel aliam quamcumque deum dispositionem in iudicio semel impugnavit, eam pro se & sua utilitate allegare, eamque uti, & fructum aut commodum ex illa percipere non amplius potest. Rationem assignat Vivianus hic; quia qui in iudicio aliquid impugnat, hæc ipsò illud pro injusto aut invalido, & pro tali habet, quòd adversarius pro se, suaque intentione producere vel allegare, eamque uti, & ex illa fructum vel commodum julle percipere non possit: quòd dum impugnans facit, se ipsum in tantum jugulat, ut ex eadem re, quam impugnando pro injusta & invalida habet, ipse fructum aut commodum aliquod percipere non amplius valeat juxta æquissimum illud: Quòd quisque juris in alterum statuit, ipse uti debeat eò, & sapientis dicat Auctoritas, patere legem quam tu ipse tuleris. c. Cum omnibus Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

nes. 6. de Constit. junctâ l. 1. ff. quòd quisque juris in alterum statuerit. &c. ubi etiam æquitas hujus dispositionis adducitur illis verbis: Hoc edictum summam habet æquitatem: & sine cuiusquam indignatione iusta. Quis enim aspernabitur idem sibi dicit, quòd ipse aliis dixit, vel dicit effecti.

Et procedit Regula, etiam si aliquis ex illo, quòd in iudicio impugnavit, fructum & commodum aliàs de Jure percipere omnino potuisset, quia, ut cum aliis bene advertit Vivianus, Juri quòd prius in re habuit, impugnando eandem, tacite renuntiasse censetur, textu satis claro. c. Olim. 19. de Censibus. ibi: Licet enim ex forma secundæ compositionis delationes aliquid essent faciendæ, quia tamen compositio nem idem Abbas nullatenus approbavit, sed studuit multipliciter impugnare, ex eo non debet beneficium consui, cui renuntiasse tacite videatur. Ad id autem, cui quis semel renuntiauit, reditus de Jure non amplius conceditur. l. Si quis. 1. C. de Reb. Credit. ibi: Satis enim absurdum est redire ad hoc, cui renuntiaandum putavit.

Declaratur & firmatur Regula & sensus illius variis exemplis, & quidem imprimis de Legibus; Nam ut bene exemplificat Glossa hic: qui Decretales Epistolæ, vel alias constitutiones, aut sanctiones Apostolicas non esse authenticas asserit, nequit eas postmodum in sui favorem allegare. arg. can. Si Romanorum. dist. 19. ubi it, qui Decretalium Auctoritatem temerè negare audent, à Nicolao Papa reprehenduntur illis verbis: Cum ipsi ubi hæc sunt incivitiis suffragari conspiciunt, illis insisterent utamur, & solum tunc ad imminutionem Sedis Apostolicæ potestatem, & ad suorum augmentum privit. giorum, minus accepta esse perhibeant. Concordat can. 1. dist. 8. & c. quia frustra 14. de usur. ibi: Frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem: live non est dignus legis auxilio, qui facit contra legem.

Dein in Testamentis: qui enim testamentum tanquam falsum aut inofficiosum impugnat, & succumbit, ex tali sic impugnatione testamentum non tantum nihil recipit, sed etiam, quòd jam accepit, eidem iterum auferitur, & sicut appropriatur. l. Papinianus. 8. §. 14. ff. de Inoffic. Testam. ibi: Meminisse autem oportebit eum, qui testamentum inofficiosum impugnavit, & non obtinuit, id quòd in testamento accepit, perdere, & sicut vindicari quasi indigno ablatum, eò quòd sic impugnando testamentum, sicut, ex illo aliàs competenti tacite renuntiasse censetur. cit. c. Olim. de Censibus. Secus foret, si quis testamentum non ut falsum vel inofficiosum, sed ut carens debitis Solemnitatibus, sicut de jure non subsistens impugnaret; talis enim legata in illo pro se facta non amitteret, prout clarè statutum habetur cit. l. Papinianus. §. 14. & l. Post legatum. 5. §. 1. ff. de His que ut indigna. junctâ l. Si Testamentum. 24. ff. eod. Rationem disparitatis asserit Dyn. hic. n. 3. & 4. quia qui Testamentum ut falsum impugnat, non solum institutionem hæredis, sed etiam legata impugnat, consequenter hæc ex illo percipere non potest: Non sic, qui illud impugnat ut minus solemne; cum corruente testamento ob defectum solemnitatis non

numquam valeant adhuc legata saltem ad causas pias per d. cta l. b. III. Tu. 27. de Testam. n. 164. item qui testamentum tanquam inofficiosum impugnatur, censetur dicere, quod testator quasi non sanæ mentis fuerit. l. 2. ff. de Insti. Testam. ibi: Hoc colore inofficioso testamento agitur; quasi non sanæ mentis fuerunt, qui testamenta ordinarent. consequenter sicut ad institutum heredem, sic etiam ad condenda legata inhabiles fuerint. Dynus loc. cit.

7 Proceat ulterius in instrumentis, ut qui aliquod impugnat, illud in favorem allegare non amplius possit cit. c. Cum olim de Censib. Idem est de impugnante testem: item de impugnante contractum tanquam invalidum.

8 Queritur II. An. & in quibus Regula XXXVIII. fallat? Resp. Eam fallere in sequentibus, & quidem primo, quando quis impugnationem rei usque ad sententiam definitivam non continuat, sed ante hanc ab illa voluntariè desistit. Glossa hic communiter recepta textu expresso l. Papianus. §. 14. ibi: Eadem auferitur, quod testamento datum est, qui usque ad sententiam Judicium lite improba perseveraverit. Ceterum si ante sententiam desistit, vel decessit, non ei auferitur, quod datum est, juncta l. Alia §. C. de his quibus ut indig. cum pœnitentiis, & errorem agnoscenti venia non sit neganda. can. Quanto §. cau. 2. q. 4. ibi: quia sicut in pertinacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterum humilitatis & pœnitentiis negare locum venie non debemus.

9 Fallit secundo, si quis non suo, sed alieno nomine & ex officio, si quis non plene liberè, sed quasi necessariè impugnat, uti tutor & curator nomine pupilli vel minoris; talis enim etiam ex illo, quod

impugnat, fructum pro se consequi, consequenter ex testamento v. g. sic impugnato, legata in illo sibi facta percipere valet. Gloss. cit. cum communi aliorum, textu claro l. Adversus. 38. ff. de Inoffic. Testam. ibi; Tutoribus, pupilli nomine, sine periculo ejus, quod Testamento datum est, agere possit de inofficioso testamento, Divi Severus & Antoninus reserpservunt. Concordat l. Cum quedam. 26. C. de administ. Tu. Cum non deceat alicui officium suum esse damnosum c. Cum non deceat. 30. pr. de Elect. in 6. & ne assendum patitur, qui videtur premium meruisse. c. Pervenit. 2. de Fideiuss.

Fallit tertio, ubi non est eadem materia, vel Capitulum (ut Glossa ait hęc.) quod quis impugnat cum illo, ex quo etiam post impugnationem fructum consequi nitur. Nam licet quis sententiam ex uno capite impugnet, adhuc ex alio capite fructum percipere valet. arg. c. Ut lenon del et per inutile vitari. 37. de R. J. in 6. junctò c. Rogatus. 16. & c. Raynaldus. 18. de Testam. ubi sententia Judicis inferioris, à qua partes ambæ, quatenus contra se fuerat, appellaverant ad Papam, ex una parte confirmatur à Papa, si que profuit impugnantibus.

Fallit denique quarto, respectu tertii, ita ut licet quis ex eo, quod contra certum alique impugnavit, contra eundem fructum percipere, vel eadem re impugnata, & ex iure sibi competente contra tertium frui omnino possit. Pech. hic n. 5. eò quod regulariter aliis non noceat res inter alios judicata c. Quatuor. 25. de Sentent. & re judic. cum Concordant.

REGULA XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

SUMMARIUM.

- 1 Ponuntur Concordantia cum Regula.
- 2 Subsequentia ex prohibito, non item media ad illud, censetur prohibita.
- 3 Alia simpliciter tantum: alia etiam sub nullitate prohibentur.
- 4 Regula implicet duas habet partes: Ponitur verus utriusque sensus.
- 5 Declaratur Regula exemplis, & seqq.
- 6 De Jure non licet in quadragesima comedere Lulcinia.
- 7 Prohibita alienatione prohibetur omnis species & subsequentia.
- 8 Existente nullo matrimonio nulla etiam Jura ex eo sequentia.
- 9 Omnes contractus civiles prohibiti etiam ipso jure sunt nulli.
- 10 Fundus dotalis vendi non potest.
- 11 Ex contractu prohibito nulla est etiam translatio domini.
- 12 Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud.

Cum hac Regula concordare videntur Reg. 42. de Reg. Jur. in 6. ibi: Accessorium naturam sequi congruit principali, sicut & illud commune: conexorum eadem est ratio: si ve: quod de uno conexorum statuitur, ad alia quoque conexorum

di debet. c. Translato. 3. de Constitut. junctà Glossa ibidem.

Addit Vivianus hic cum Regula concordare etiam illud, quod pro quasi Regula habetur l. Oratio. 16. ff. de Spons. l. junctò Summario ibidem. Cum aliquid prohibetur, videtur etiam esse omne illud prohibendum, per quod pervenitur ad illud. Verum displicet hæc concordantia Dyno hic n. 1. Strein n. 1. ac alii. Et merito? quia per nostram Regulam prohibentur consequentia ex principali prohibito; per textum l. Oratio. aut in prohibentur solum media ad consequendum prohibendum, uti consideranti patet.

Queritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsum Notandum, in Jure subinde aliqua tanquam minus honesta, minusque licita simpliciter tantum prohiberi, non autem simul annullari, seu non prohiberi sub nullitate; de quibus verificatur illud. c. Ad Apostolicam. 16. de Regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem: prout res se habet in Matrimonio v. g. utpote quod sine denuntiationibus prævis, aut certis temporibus fieri prohibetur quidem, & tamen si absque illis, & tempore prohibito celebratur, validum existit juxta dicta lib. IV. Tit. 3. de Clandest. despons. n. 15. Aliqua verò non tantum simpliciter prohiberi sed etiam simul annullari, seu sub nullitate inhiberi: cuiusmodi sunt Matrimonia cum impedimento dirimente contracta, quia non tantum simpliciter, sed etiam sub nullitate prohibentur, indeque non solum illicita, sed etiam invalida sunt, juxta dicta lib. IV. Tit. 1. de Spons. & Matrim. §. 9. Hęc notat, Resp. Hęc Regula non tantum de iis, quæ simpliciter

ter, sed etiam de illis, quæ sub nullitate prohibentur, intelligenda est: ut proinde duas implicite contineat partes, & quævis in suo, si que ambæ sub diverso sensu intelligendæ veniant. Et quidem genuinus ac verus Regule sensus quoad primam partem de simpliciter tantum prohibitis sequens est: Quando aliquid simpliciter duntaxat tanquam minus honestum, minusque licitum absque nullitate prohibetur, simpliciter prohibita quoque, si que illicitas non item invalida censetur omnia ea, quæ ex principali prohibito propter necessariam connexionem & dependentiam ordinari sequuntur, saltem si eadem de his, uti de illo militat ratio. Quoad secundam verò partem verus Regule sensus hic est: Quando aliquid non tantum simpliciter ut illicitum, sed etiam sub nullitate, seu per legem annullantem prohibetur, similiter prohibita, si que illicita simul & invalida censentur, quæ ob necessariam connexionem & dependentiam ex principali prohibito sequuntur. Tacite hic n. 2. Ratio utriusque partis ex mutua connexionem & dependentia desumitur; conexorum enim eadem est ratio: si ve quod de uno conexorum statuitur, ad alia quoque conexa extenditur juxta dicta num. 1. arg. c. Translato 3. de Constitut. Et quæ ex aliquo sequuntur, accessoria illius sunt: Accessorium autem naturam sequi congruit principali juxta pariter jam citatam Regulam 42. Jur. in 6.

Declaratur prima Regula pars amplius, & firmatur exemplis per Glossam adductis: sic enim ex eo, quod prohibita sit in Quadragesima comedere carnes, prohibita etiam censentur omnia, quæ ex se mentina trahunt originem carnis, hæc videlicet, ova, caseus, &c. can. Denique 6. dist. 4. ibi: Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ semeni nam carnis trahunt originem, jejunemus, à lacte videlicet, caseo & ovis; intellige, nisi alicubi legitime præscripta habeatur continentio, uti in Germania, ubi vi consuetudinis lactentia licite comeduntur, licet in plurimis aliis Catholicis Regnis ac Provinciis dicta prohibitio strictè obvietur, indeque Regula in illis locum habeat.

Sic pariter, dum concupiscentia prohibetur, prohibentur omnia mala inde oriunda c. Nam. 4. de Constit. ibi: Hoc enim legit Apostolus generale, unde omnia mala oriuntur; bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia prohibet. Sic etiam dum prohibetur Mœchia, prohibitus censetur omnis illicitus concubitus can. Meretrices. 11. cau. 32. q. 4. ibi: Profectò nomine Mœchie omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

Secunda pars Regule, quæ præter rationem & Jura allegata specialiter etiam in illo claro Juris textu n. 9. adducendo firmatur l. Non dubium. §. C. de Legibus. declarat etiam exemplis: sic enim quia alienatio rerum Ecclesiasticarum sine debita solemnitate non tantum simpliciter, sed etiam sub nullitate est prohibita per dicta lib. III. Tit. 13. de Rebus Eccles. alien. quævis etiam donatio, venditio, & similia sub nullitate censentur prohibita una cum connexionis & subsequentibus ex illis, quæ sunt traditio, dominium, Dynus hic n. 4. addens, Prælatum vel economum propterea admitti ad vindicationem rei alienatæ. l. Jubemus. 14. C. de Sacros. Eccles.

Sic ulterius, quæ Matrimonium cum dirimente impedimento contrahere, lege annullante & irritante, prohibetur, ut nulla enim censetur prohibita alias consequentia ex matrimonio, v. g. ius petendi debi. un conjugale, jus percipiendi fructus dotis, jus agendi uxorio nomine: &c. sicut insuper, quia sub nullitate etiam in matrimonio legitimo pro-

hibita est venditio fundi dotalis. l. Rem in præsent. §. Et cum Lex. 15. C. de R. i. uxor. act. etiam traditio & dominium, quæ aliàs ex venditione sequuntur, nulla sunt. Dyn. hic n. 4. Insit. quibus modis ali. n. licet.

Sic universaliter omnia ex contractibus sub nullitate prohibitis subsequentia, nulla quoque & irrita sunt Ubi specialissime notandum, omnes & singulos contractus civiles, qui Jure Civili simpliciter tantum prohibentur, censeri etiam sub nullitate prohibita, etsi annullatio & irritatio contractus expressè non addatur, textu claro, & per extensum rellatu certè d. gno. l. Non dubium. §. C. de Legibus. ibi: Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus secutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trohi generaliter imperamus; ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cæteraque quasi expressè ex legis licet voluntate colligere, hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solum inuita, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inuitè esse debere, quod factum est: sed & si quid fuerit subsequentum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege, factum est, illud quoque cassum, atque inuitè esse præcipimus. Ex quo inferitur, in contractibus civilibus nunquam verificari illud Juri canonico insertum, c. Ad Apostolicam. 16. de Regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. Quod bene notandum.

Nec valet obicere l. Penult. ff. de Fund. dotal. ubi licet aliàs prohibita habeatur & nulla sit venditio fundi dotalis: facta tamen traditione, dominium transfertur; quod idem dicitur l. Cum vir prædium. 42. ff. de Usucap. ergo subsecuta ex prohibito & nullo valet. Resp. enim, præsentis leges, uti legenti patet, loqui de valore domini soluto matrimonio, ubi fundus dotalis non amplius habet rationem dotis, sed ex hæreditate vel alio titulo evadit propria mariti; prout etiam res se habet in venditione rei furtivæ, si fur sit hæres domini. cit. l. Cum vir prædium. ibi, Cum vir prædium vendidit scienti, vel ignorantis, rem dotis esse, venditio non valet: quam defuncta postea muliere confirmari convenit, si tota dos lucrò mariti cessit, Item Juris est, cum is, qui rem furtivam vendidit, postea Dominus hæres existit.

Neque obstat l. Et elegantior. 7. ff. de Dolo malo. ubi habetur, quod ex contractu prohibito fieri possit translatio domini. Resp. enim cum Baldo apud Peck hic, translationem domini non fieri ex vi contractus prohibiti, tanquam ex causa immediata ac principali, sed ex voluntate domini tradentis, qui etiam ex contractu in sui favorem invalido iterò potest transferre dominium rei suæ in alterum.

Cæterum bene ad propositum Regule nostræ: Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo: Subjungit Barb. aliam Regulam contra veram: Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud. l. 2. ff. de Jurisdic. ibi: Cui Jurisdic. data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdic. explicari non potest. & c. Præterea. §. de Offic. del. g. ubi dicitur, quod facta alicui delegatione cause, censetur eadem etiam concessa potestati citandi & condemnandi contumacem; Ratio apponitur ibi: Quia ex eo, quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.